Ciceronis (M. T.): Epistola-
rum selectarum libri tres.
Calisii typ. Coll. S. J. 1745.

Klangay i No 162

MARCI TULLII CICERONIS

Epistolarum selectarum

LIBRI TRES,

Ad Usum Infimæ Classis Grammatices Studiosorum, per Provinciam Poloniæ SOCIETATIS JESU.

Collegii Cracov: Soc JESU 1749

Cum Privilegio S. R. Majestatis.

CALISSII.

Typis Collegii *Societatis JESU* 1745.

Exemplum Imitátionis
CICERONIANÆ
Ad profectum in Latinitate valde necessariæ, & à discipulis sæpè usurpandæ.
Super Epistolam lib. 12. Ad cæteras,&c.

Filius petit à Parente pecuniam.

AD cæteras meas, quas D. Parenti sæpius infero molestias, accedit & hæc reverens petitio pecuniæ, mihi, meisque necessitatibus submittendæ. Omnino cū meis studiis, nec quid faciam, scio. Spero D. Parentem mei, & studiorum meorum, curam suscepturum.

Respondet Pater.

AD cæteras domesticœ rei angustias. accessit & nunc defectus repentinus pecuniæ, ex mercium novarum, & vecturarum solutione. Omnino de pecuniario subsidio, nec ubi aliquid accipiam, nec quod tibi submittam. scio. Tu velim interea te, & tua studia, ut poteris, promoveas.

Responsio ad Parentis literas.

AD cætera erga me D. Parentis benevolentiæ inditia, accessit prompta, de me bene merendi, voluntas in literis, ad me missis, expressa. Omnino de subministrāda pecunia, nec cur ultra molestus sim, nec cur etiam desperem. habeo Peto tamen, mihi, & meæ indigentiæ (quod forè confido) quàm primùm subveniri.

MAR-

MARCI TULLII CICERONIS.

Epiſtolarum ſelectarum LIBER PRIMUS.

Argumentum *Continet hæc Epiſtola. omnium breviſſima, gratulationem, benevolentiam, officium.*

TIbi gratulor, mihi gaudeo: te amo, tua tueor. A te amari, & quid agas, quidque iſtic agatur, certior fieri volo. Vale.

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

Argum. *Significat dolorem ſuum ex Dolabellæ generi ſui, & Tulliolæ filiæ valetudine.*

AD cæteras meas miſerias acceſſit dolor è Dolabellæ valetudine, & Tulliolæ: omnino de omnibus, nec quid conſilii capiam, nec quid faciam, ſcio. Tu velim tuam, & Tulliæ valetudinem cures. Vale.

Tullius Terentiæ ſuæ ſuæ S. D.

Argum. *Permittit uxori, ut de nuntio remittendo conſilium capiat ex tempore.*

QUod ſcripſi ad te proximis literis, de nuntio remittendo, quæ ſic iſtius vis hoc tempore, quæ & concitatio multitu-

dinis, non ignoras. Si metuendus iratus est. quies tamen ab illo fortasse nascetur. Totum judicabis, quale sit, & quod in miserrimis rebus minimè miserum putabis, id facies. Vale. Id Quintil.

Marcus Tullius Terentiæ suæ S. D.

Argum. *Rogat uxorem, valetudinem curet. laudat ejus diligentiam, eâque ut deinceps utatur, mandat.*

SIV. B. E. E, Q. V. Valetudinem tuam velim cures diligentissimè Nam mihi & scriptum & nuntiatum est. te in febrim subitò incidisse. Quod celeriter me fecisti de Cæsaris literis certiorem, fecisti mihi gratum: idem posthac, si quid opus erit, si quid acciderit novi, facies ut sciam Cura, ut valeas, D. IV. Non Junias

Marcus Tullius Terentiæ suæ S. D.

Argum. *Mandat ut cum Attico colloquatur & literas mittat.*

QUid fieri placeret, scripsi ad Pomponium seriùs, quàm oportuit. Cum eo si locuta eris, intelliges, quid fieri velim. Apertiùs scribi, quando ad illum scripse ram, necesse non fuit. De ea re, & de cæteris rebus, quàm primùm velim nobis mittas literas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. VII. Id. Quint.

Tul.

Tullius Terentiæ S. D.

Argum. *Doloris index Epiſtola*

SI quid haberem, quod ad te ſcriberem, facerem id & pluribus verbis, & ſæpius nunc quæ ſunt negotia, vides. Ego autẽ quomodo ſim affectus, ex Lepta & Trebatio poteris cognoſcere. Tu fac, ut tuam, & Tulliæ valetudinem cures. Vale.

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

Argum. *Mandat, ut in Tuſculano omnia ſint parata ad hoſpites excipiendos.*

IN Tuſculanum nos venturos putamus, aut Nonis, aut poſtridie. Ibi fac, ut ſint omnia parata. Plures enim fortaſſe nobiſcum erunt, & ut arbitror, diutiùs ibi cõmorabimur. Labrum, ſi in balneo non eſt fac ut ſit. Item cætera, quæ ſunt ad victum, & valetudinem neceſſaria. Vale. Kal. Octob. de Venuſino.

Marcus Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

Argum. *Scribit, ut quæ tempus poſtulabit provideat, ſibiquæ abſenti adminiſtret, literasq́; mittat*

SI vales bene eſt: ego quidem valeo. Da operam, ut convaleſcas: quod opus erit, ut res tempuſque poſtulat, provideas, atque adminiſtres, & ad me de omnibus rebus, quam ſæpiſſime literas mittas Vale.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

Argum. *Dicit se tabellarios exspectare: ut consilium capere possit.*

SI vales bene est; ego valeo. Nos quotidie tabellarios vestros exspectamus: qui si venerint, fortasse erimus certiores. quid nobis faciendum sit, faciemusque te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale Kalend septembribus.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

Argum. *Nondum se; neque de Cæsaris adventu, neque de ejus literis, quidquam scire dicit*

SI vales, bene est: ego valeo. Nos neq; de Cæsaris adventu neque de literis, quas Philotimus habere dicitur, quidquã adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciam te statim certiorem. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale III. Id Sextiles.

M. Cic, C. Titio L. F. Rufo Prœt. Urb. S.

Argum. *Commendat L. Custidium*

L. Custidius, est tribulis & municeps, & familiaris meus. Is causam habet, quã causãm ad te deferet. Commendo tibi hominem, sicut tua, fides, & meus pudor postulat, Tantùm ut faciles ad te aditus habeat, quæ æqua postulabit, lubente te impetret: sentiatque meam sibi amicitiam, etiam cùm longissimè absum, prodesse in

primis

primis apud te. Vale.

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

Argum *Tulliam ad ſe veniſſe dicit, ſibi autem in animo eſſe Ciceronem filium ad Cæſarem mittere.*

SI vales bene eſt: ego quidem valeo. Tullia noſtra venit ad me prid. Id. Junias, cujus ſumma virtute & ſingulari humanitate, graviore etiam ſum dolore affectus, noſtrâ factum eſſe negligentiâ, ut longè alia in fortuna eſſet, atque ejus pietas, ac dignitas poſtulabat. Nobis erat in animo, Ciceronem ad Cæſarem mittere, & cum eo Cn. Saluſtium, ſi profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. XVII. Kalend. Quint:

Tullius Terentiæ ſuæ S. D.

Argum. *Conſilium ſuum reprehendit, quod victô in Pharſalia Pompejo in Italiam redierit monet uxorem, ne ad ipſum eat.*

QUod nos in Italiam ſalvos veniſſe gaudes. perpetuò gaudeas velim. Sed perturbati dolore animi, magniſque injuriis metuo, ne id conſilii ceperimus, quod non facilè explicare poſſimus. Quare quantûm potes, adjuva: quid autem poſſis, mihi in mentem non venit. In viam quod te des hoc tempore, nihil eſt: & longum

est iter, & non tutum: non video quid prodesse possis si veneris. Vale. Datum Prid. Nonas Nov. Brundusiô

Tullius Terentiæ suæ S. D.

Argum. *Dicit se mutâsse consilium de mittendo ad Cæsarem Cicerone filio.*

SI vales bene est, ego valeo. Constitueramus, ut ad te ante scripseram, obviam Ciceronem Cæsari mittere: sed mutavimus consilium: quia de illius adventu nihil audiebamus. De cæteris rebus, etsi nihil erat novi, tamen quid velimus, & quid hoc tempore putemus opus esse, ex Sica poteris cognoscere. Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XII. Kalend. Quintiles.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

Argum. *Scribit ex literis á Cæsare acceptis, de ejus adventu, de obviam itione.*

SI vales, bene est: ego valeo. Redditæ mihi tandem sunt à Cæsare literæ satis liberales: & ipse opinione celeriùs venturus esse dicitur. Cui utrum obviam procedam, an hic eum expectem, cum constituero faciam te certiorem. Tabellarios mihi velim quàm primùm remittas. Valetudinem tuam cura diligenter Vale D. prid. Id. Sextiles.

Tul

Tullius Tironi S. D.

Argum. *De literis, de Demetrio, Aufidiano nomine,*

EXpectο tuas literas de multis rebus, te ipſum multò magis, Demetrium redde noſtrum, & aliud, ſi quid potes boni. De Aufidianò nomine nihil te hortor, ſcio tibi curæ eſſe: ſed confice, & ſi ob eam rẽ moraris, accipio cauſam: ſi te id non tenet, advola Literas valde expecto. Vale

Tullius Tironi S. D.

Argum. *De valetudine curanda, de libris componendis, de Olitore, & reditu Tironis*

SOllicitat, ita vivam, me tua mi Tiro, valetudo: ſed confido, ſi diligentiam, quam inſtituiſti, adhibueris, citò te firmũ fore. Libros compone, indicem cùm Metrodoro lubebit; quando ejus arbitratu vivendum eſt. cum Olitore, ut videtur. Tu potes Kalendis ſpectare gladiatores, poſtridie redire: & ita cenſeo. Verùm ut videbitur, cura te diligenter. Vale.

M. T. Cicero Q. Valerio Q. F S. D.

Argum. *Publium Cornelium Valerio cõmẽdat.*

PUblius Cornelius, qui tibi has literas reddidit, eſt mihi à P. Cuſpio commẽdatus; cujus cauſa quantopere cuperem deberemque, profectó ex me facilè co-

gnovisti. Vehementer te rogo ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuspius quàm maximas, quàm primùm quàm sæpissimè gratias agat. Vale.

M. T. Terentiæ suæ S. D.

Argumentum est de literis, & de Volumnia

SI vales bene est: ego valeo. Etsi ejusmodi tempora sunt, ut nihil habeam, quod aut à te literarum expectem, aut ipse ad te scribam: tamen nescio quo mô do & ipse vestras literas expecto, & scribo ad vos, cùm habeo, qui ferat. Volumnia debuit in te officiosior esse, quàm fuit: & id ipsum, quod fecit, potuit diligentiùs facere & cautiùs quàmquàm alia sunt, quæ magis curemus, magisque doleamus, quæ me ita conficiunt, ut ii voluerunt, qui me de mea sententia detruserunt. Cura ut valeas. Prid: Nonas Januarias.

M. T. Terentiæ suæ S. D.

Argum. *Dolorem significat ex filiæ valetudine, & difficultatem, quo minùs possit propiꝰ accedere.*

IN maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliæ nostræ: de qua nihil est, quod ad te plura scribam; tibi enim æquè magnæ curæ esse certò scio. Quod me propiùs vultis accedere, video

ita

ita esse faciendum: etiam ante fecissem, sed me multa impedierunt, quæ nunc quidem expedita sunt. Sed à Pomponio expecto literas, quas ad me quàm primum perferendas cures velim. Da operam, nt valeas.

Cicero S. Memmio.

Argum. *Fusum commendat, quem & antè præsens præsenti commendârat.*

AUlum Fusum, unum ex meis intimis observantissimum, studiosissimumque nostri. eruditum hominem, & summâ humanitate, tuaque amicitiâ dignissimum velim ita tractes, ut mihi coram recepisti. Tam gratum mihi id erit, quàm quod gratissimum ipsum præterea summo officio, & summâ observantiâ tibi perpetuum devinxeris. Vale.

M. Cicero Ser Sulpitio S. D.

Argum. *Commendat Asclapionem medicum, ut amicum, ut doctum, ut fidelem.*

ASclapione Patrensi medico, utor valde familiariter: ejusque tum consvetudo mihi jucunda fuit, tum etiam ars, quàm sum expertus in valetudine meorum. In qua mihi tum ipsa scientiâ, tum etiam fidelitate, benevolentiaq; satis fecit. Hunc igitur tibi commendo, & à te peto, ut des operam. ut intelligat diligenter me

scri-

scripsisse de se. meamque commendationem usui magno sibi fuisse. Erit id mihi vehementer gratum. Vale.

M. Cicero Ser. Sulpitio S. D.

Argum. *Hagesaretum breuiter, sed accuratè commendat.*

HAgesaretus Larissæus, magnîs meîs beneficiîs ornatus, in Consulatu meo memor, & gratus fuit, mèque postea diligentissimè coluit. Eum tibi magnopere commendo, ut & hospitem, & familiarem meum, & gratum hominem, & virum bonum, & principem civitatis suæ & tua necessitudine dignissimum. Pergratum mihi feceris, si dederis operam. ut is intelligat, hanc meam commendationem, magnum apud te pondus habuisse. Vale.

Cic. Acilio Procon. S. D.

Argum. *Commendat Titurnium Rufum.*

CUm familia Titurnia necessitudo mihi intercedit vetus: ex qua reliquus est M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentia, atque officio est tuendus. Est igitur in tua potestate, ut ille in me satis sibi præsidii putet esse. Quapropter cum tibi commendo majorem in modum, & abs te peto, efficias: ut is commenda-

tionem

tionem hanc, intelligat ſibi magno adjumento fuiſſe.. Erit id mihi vehementer gratum. Vale.

M. T. C. Q. Anchario Q. F. Procons S.P.D
Argum. *L. & C Aurelius fratres, cōmendat.*

L. Et C. Aurelios L. filios, quibus & ipſis, & parte eorum viro optimo familiariſſimè utor, commendo tibi majorem in modum, adoleſcentes omnibûs optimîs artibûs ornatos, meos perneceſſarios, tuâ amicitiâ digniſſimos. Si ulla mea apud te commendatio valuit, quod ſcio multas plurimùm valuiſſe, hæc ut valeat rogo. Quod ſi eos honorificè, liberaliterque tractâris- & tibi gratioſiſſimos. optimoſque adoleſcentes adjunxeris, & mihi gratiſſimum feceris. Vale.

Cic. Acilio Procons. S.
Argum. *Brutii negotia, procuratoresque commendat.*

LUcius Brutius eques Rom. adoleſcens omnibus rebus ornatus, in meis familiariſſimis eſt, meque obſervat diligentiſſimè, cujus cum pātre magna mihi fuit amicitia, jam inde á Quæſtura magna Sicilienſi Omnino nunc ipſe Brutius Romæ mecum eſt. Sed tamen domum ejus, & rem familiarem, & procuratores tibi ſic commen

commendo, ut majore studio, commendare non possim. Gratissimum mihi feceris, si curâris, ut intelligat Brutius; id quod ei recepi hanc meam commendationem sibi magno adjumento fuisse. Vale

Cicero Trebatio S.

Argum. *Auctoritate jurisconsultorum probat, quod de controversia quondam dixerat.*

ILluseras heri inter scyphos, quod dixeram, controversiam esse: possetne hæres quod furtum antea factum esset rectè furti agere, Itaque, etsi domum bene potꝰ seròque redieram, tamen id caput, ubi hæc controversia est, notavi, & descriptū tibi misi: ut scires, id quod te neminem sensisse dicebas: Sext. Ælium, M. Manlium, M. Brutum sensisse. Ego tamen Scævolæ, & Testæ assentior. Vale.

Cic. Acilio Procons. S.

Argum. *Commendat duos hospites suos Alesinos.*

IN Alesina civitate lauta, tamque nobili conjunctissimos habeo, & hospitio & familiaritate M. & C. Clodios, Archaietum & Philonem, sed vereor, nè quia cō plureis tibi præcipuè commendo, exæqnare videar ambitione quadam commen-

dati-

dationes meas; quamquam à te quidem cumulatè ſatisfit & mihi, & meis omnibus Sed velim ſic exiſtimes, hanc familiam, & hos mihi maximè eſſe conjunctos vetuſtate, officiis, benevolentia. Quã obrem peto à te majorem in modum: ut his, omnibus in rebus, quantum tua dignitas, fidesque patietur, commodes. Id ſi feceris, erit mihi vehementiſſimè gratum. Vale.

M. T. Cicero Silio S. D.

Argum. *Egnatium communem amicum commendat.*

QUid ego tibi commendem, quem tu ipſe diligis? Sed tamen ut ſcires, eũ à me non diligi ſolum, verum etiam amari, ob eam rem tibi hæc ſcribo. Omnium tuorum officiorum, quæ multa, & magna ſunt, mihi gratiſſimum fuerit, ſi ita tractâris Egnatium, ut ſentiat, & ſe à me, & me à te amari. Illa noſtra ſcilicet acciderunt. Utamur igitur vulgari conſolatione: Quid ſi hoc melius? ſed hæc coram. Tu fac, quod facis, ut me ames, teque amari à me ſcias. Vale.

M. Cic: Sextilio Rufo Quæſt. S. D.

Argum. *Omnes Cyprios, maximèque Paphios commendat.*

Omnes

OMnes tibi commendo Cyprios, sed magis Paphios: quibus tu quæcunque commodâris, erunt mihi gratissima. Eòque facio libentiús, ut eos tibi commẽdem, quòd tuæ laudi, cujus ego fautor sum, concedere arbitror, cùm primùm in eam Insulam Quæstor veneris, ea te instituere quæ sequantur alii, quæ, ut spero, facilius consequere, si & P. Lentuli necessarii tui legem, & ea quæ à me constituta sunt, sequi volueris; quam rẽ tibi confido magnæ laudi fore. Vale.

M. T. Cic. Q. Philippe Procons. S.

Argum. *Oppium præsentem, & Egnatii absentis negotia commendat.*

ETsi dubito, pro tua in me obsevantia, proque nostra necessitudine, quin cõmendationem meam memoriâ teneas: tamen etiam atque etiam eundem tibi L. Oppium, familiarem meum præsentem, & L. Egnatii familiarissimi mei absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est familiaritasque, uti si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris. si curâris, ut intelligat, me à te tantùm amari: quantum ipse existimo. Hôc mihi gratiùs facere nihil potes, id

que

que ut facias, te vehementer rogo. Vale.

M. T. Cic. Teren. suæ & Tulliolæ suæ *S.D.*

Argum. *Excusat infrequentiam literarum: mandat, ut creditoribus satis fiat, gratias actas à nescio qua, non miratur: Pollicē expectat.*

NEc sæpe est, cui literas demus, nec rem habemus ullam: quam scribere velimus. Ex tuis literis, quas proxi mè accepi, cognovi prædium nullum venire potuisse. Quare videas velim, quomodo satisfiat ei, cui scias me satis fieri velle. Quòd nostra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollicem, si adhuc non est profectus, quàm primùm fac extrudas. Cura ut valeas. Idib. Quinctilibus.

Tullius Tironi S,

Argum. *Scribit de sua solicitudine, suoque Alyziam accessu: rogat, ut valetudinem diligenter curet.*

NOn queo ad te, nec lubet scribere, quo animo sim affectus: tantùm scribo, & tibi & mihi maximæ voluptati fore, si te firmum quàm primùm videro. Tertio die abs te ad Alyziam accesseramus. Is locus est circa Leucadē

stadia CXX. Leucade aut te ipsũ, aut tuas literas à Marione putabã me accepturũ Quãtũ me diligis, tantũ fac, ut valeas, vel quantum te à me scis diligi. Nonis Novembribus. Alyziâ

LIBER SECUNDUS

M. C. Imp. Cælio Ædili Cur S. D.

Argum. *Commendat Fabium à quinque rebus, bonitate, doctrina, ingenio, modestia, amicitia.*

MArco Fabio, viro optimo, & homine doctissimo, familiarissimè utor, munificèque eum diligo, eum propter summum ejus ingenium, summamq; doctrinam; tum propter singularem modestiam. Ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. Novi ego vos magnos patronos; hominem occidat, oportet, qui vestrâ operâ uti velit; sed in hoc homine nullam accipio excusationem. Omnia relinques, si me amabis, cùm tuâ operâ Fabius uti volet. Ego res Romanas vehementer exspecto, & desidero; imprimisque quid agas, scire cupio, nam jam diu, propter hyemis magnitudinem, nihil novi ad nos afferebatur.

Tull. Cic. S. D. Tironi suo

Argu.

Argum. *Scribit se adversis ventis Corcyræ teneri, hortaturquè Tironem, ut se curet, nec nisi confirmátus naviget.*

SEptimum jam diem Corcyræ tenebamur. Quintus autem frater, & filius Buthroti, soliciti eramus de tua valetudine mirum in modum; nec mirabamur, nihil à te literarum jis enim ventis istinc navigatur, qui si non essent, nos Corcyræ non sederemus. Cura igitur te, & confirma, cùm commodè & per valetudinem, & per anni tempus navigare poteris, ad nos amantissimos tui veni. Nemo nos amat, qui te non diligat. Carus omnib9, expectatusque venies. Cura ut valeas, etiam atq; etiam Tito noster. Vale. XV. Kal. Nov Corcyræ.

M. Cic. S. D. Cn. Planco.

Argum. *Hortatur, ut communem fortunam fortiter ferat.*

ACcepi perbreves tuas literas, è quib9 id, quod cupiebam, cognoscere non potui: cognovi autem id, quod mihi dubium non fuit. Nam quàm me amares, facilè perspexi: sed hoc sciebam: illud si scissē, ad id meas literas accōmodassē. Sed tamē etsi antè scripsi, quæ existimari scribi oportere: tamē hoc tēporê breviter cō-

monendum putavi, ne quo in periculo te proprio existimares esse; in magno omnes, sed tamen in commune sumus. Quare non debes, aut propriam fortunam, & præcipuam postulare, aut communem recusare. Quapropter eo animo simus inter nos. quo semper fuim9, quod de te sperare, de me præstare possum. Vale.

M. Cic. M. Mario S. D.

Argum. *Præmonet Marium de adventu suo in Pompejanum.*

AD Nonum Kalend. Julias in Cumanũ veni, cum Libone tuo, vel nostro potiùs: in Pompejanum stâtim cogito; sed faciam te ante certiorem. Te cùm semper valere cupio, tum certè dum hic sumus. Quare si quid constitutum cum podagra habes, fac in alium diem differas. Cura igitur, ut valeas; & me hoc biduo, aut triduo expecta. Vale.

Cicero Trebatio S. D.

Argum. *Literarum officium á Trebatio requirit, monet, ne reditum in urbẽ præproperè cupiat.*

JAm diu ignoro, quid agas, nihil enim scribis: neque ego ad te his duobus mẽsibus scripseram: quia cum Quinto fratre meo non eras: quo mitterem, aut cui da-

rem

rem, neſciebam. Cupio ſcire, quid agas, & ubi ſis hyematurus; equidem velim cū Cæſare, ſed ad eum, propter ejus occupationes, nihil ſum auſus ſcribere: ad Balbum tamen ſcripſi. Tibi deeſſe noli; ſeriús potiùs ad nos, dum plenior. Quod huc properes, nihil eſt, præſertim Vacetrâ mortuo. ſed tibi conſilium non deeſt Quid conſtitueris, cupio ſcire, Cn. Octavius, an Cn. Cornelius? tuus quidem familiaris, ſummo genere natus, terræ filius, is me, quia ſcit tuum familiarem eſſe, crebrò ad cœnam invitat, adhuc non potuit perducere: ſed mihi tamen gratum eſt. Vale.

Cicero Trebatio S. D.

Argum. *Declarat ſuum abſentis Trebatii deſideriū & gratulatur de C. Marii familiaritate*

QUàm ſunt moroſi, qui amant, vel ex hoc intelligi poteſt. Moleſtè ferebā antea, te invitum iſtic eſſe: pungit me rurſus, quod ſcribis te eſſe iſtic libenter, neque enim tum mea commendatione te non delectari, facilè patièbar & nunc angor, quidquam tibi ſine me eſſe jucundum. Sed tamen malo nos ferre deſiderium, quàm te non ea, quæ ſpero, conſequi. Quod verò in C. Marii ſvaviſſimi,

doctissimique hominis familiaritatem venisti, non dici potest, quam valde gaudeam: qui, fac, ut te quàm maximè diligat. Mihi crede, nihil ex ista provincia potes, quod jucundius sit, deportare. Cura, ut valeas.

Cicero Pæto S D.

Argum. *Prænunciat Pæto adventum suum: quamquàm enim audierit eum ex pedibus laborare, sed tamen putare ait, coquum illius articulari morbo non impediri, quo minùs cænā possit apparare.*

HEri veni in Cumanum: cras ad te fortasse. Sed cúm certum non sciam, faciam te paulò ante certiorem. Etsi M. Ceparius, cùm mihi in sylva Gallinaria obviam venisset quæsissemque, quid ageres, dixit te in lecto esse, quod ex pedibus laborares. Tuli scilicet molestè, ut debui: sed tamen constitui advenire, ut viderem te, & viserem, & cænarem etiã: non enim arbitror, coquum etiam te arthriticum habere. Expecta igitur hospitem, cùm minimè edacem, tum inimicum cænis sumptuosis. Vale.

Cic, Planco Imp. Cos Des. S, D.

Argum. *Excusat se, quod in Senatum ad agendum Planci causam non venerit: officium suum pollicetur in iis rebus,, quæ præsentiam suam requi*

requirere videbuntur.

MEum ſtudium honori tuo, pro ne-
ceſſitudine noſtra non defuiſſet: ſi a-
ut tutò in Senatum, aut honeſtè venire
potuiſſem. Sed nec ſine periculo quiſpi-
am liberè de Republica ſentiens verſari
poteſt in ſumma impunitate gladiatorũ,
nec noſtræ dignitatis videtur eſſe, ibi ſen
tentiam de Republica dicere, ubi me &
meliùs, & propiùs audient armati, quàm
Senatores. Quapropter in privatis rebꝰ,
nullũ neq́;officiũ neq́;ſtudiũ meũ deſidera
bis; nè in publicis quidem, ſi quid erit,
in quo me intereſſe neceſſe ſit, un-
quam deero. ne cum periculo quidem
meo dignitati tuæ. In iis autem rebus,
quæ nihilominus, ego ut abſim confici
poſſunt, peto à te, ut mei rationem ha-
bere velis, & ſalutis, & dignitatis meæ.
Vale.

M. T. C. S. D. Bruto Imp Cos. Deſig.

Argum. *Laudat officium & dignitatem Bru-
ti, voluptatem, lætitiamque omnium ſignificat.
Bruti, Plancique conjunctione: eumque horta-
tur, ut in tuenda Republica ſeipſum vincat.*

ETſi mihi tuæ literæ jucundiſſimæ ſunt,
tamen jucundius fuit, quod in ſumma
occupatione tua, Planco Collegæ man-
daſti.

dasti, ut te mihi per literas excusaret, quod fecit ille diligenter, mihi autem nihil amabilius officio tuo & diligentiâ. Conjunctio tua cum Collega, concordiaquè vestra, quæ literis communibus declarata est, Senatui populoque Rom. gratissima accidit. Quod superest, perge mi Brute, & jam non cum aliis, sed tecum ipse certa. Plura scribere non debeo, præsertim ad te, quo magistro brevitatis, uti cogito. Literas tuas vehementer exspecto, & quidem tales, quales maximè opto.

M. C. S. C. Bruto.

Argum. *Scribit brevitatem in scribendo se amare. Bruti exemplo: Reip spem in ipso, & in Planco esse; de M. Bruto nihil certi.*

Expectanti mihi tuas quotidie literas Lupus noster subitò denuntiavit, ut ad te scriberem, si quid vellem. Ego autem etsi quid scriberem, non habebam (acta enim ad te mitti sciebam, inanem sermonem literarum tibi injucundum esse audiebam) brevitatem secutus sum te magistro. Scito igitur, in te, & in Collega spem omnem esse. De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego quemadmodum præcipis, privatis literis ad bellum

com-

commune vocare non desino, qui utinã jam adesset, intestinum urbis malum, quod est non mediocre, minùs timeremus. Sed quid ago? non imitor laconismum tuum? altera jam pagella procedit. Vince, & vale. XIV. Kalend. Quint:

Cic: Coruificio Collegæ S.

Arg. *Jocatur, quia Cornificiŋ Sinuessanæ villæ hospitio uti noluerat; & crebras ab eo literas petit*

GRatæ mihi tuæ literæ, nisi quod Sinuessanum diversoriolum contempsisti. Quam quidem contumeliam, villa pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano & Pompejano reddideris. Sic igitur facies, mequè amabis; & scripto aliquo lacesses, ego enim respondere faciliùs possem, quàm provocare. Quod si, ut es, cessabis, lacessam, nec tua ignavia etiam mihi inertiam afferet. Plura otiosiùs. Hæc cùm essem in senatu exaravi. Vale.

Cicero Cornificio S.

Argum. *Commendat Anicium, ejusque negotia, & dignitatem.*

CAjus Anicius, familiaris meus, vir omnibûs rebûs ornatus, negotiorũ caussa legatus est in Africam legatione libera. Eum velim rebûs omnibûs adjuves operamquè des, ut quàm commodissimè

sua

ſua negotia conficiat: imprimisque, quod ei chariſſimum eſt, dignitatem ejus tibi cõmẽdo: Idq; à te peto, quod ipſe in Provincia facere ſũ ſolitꝰ non rogatꝰ, ut omnibꝰ ſenatoribꝰ lictores darẽ, quod idem acceperã,& cognoverã,à ſummis viris factitatũ. Hoc igitur, mi Cornifici facies, cæterisq; rebꝰ omnibꝰ ejus dignitati reiq;, ſi me amas,conſules,id erit mihi gratiſſimũ. Da operam ut valeas.

M T. Cic. S. Cornificio.

Arg: *Auſidii Equitis Rom. Africana negotia cõmendat.*

SExt. Auſidius & obſervantiâ, quâ me colit, accedit ad proximos, & ſplendore Equiti Rom. nemini cedit. Eſt autem ita temperatîs, moderatîsque moribûs, ut ſumma virtus, ſumma cum humanitate jungatur. Cujus tibi negotia, quæ ſunt in Africa, ita commendo, ut majore ſtudio, magisque ex animo commendare non poſſim. Pergratum mihi feceris, ſi dederis operam, ut is intelligat, meas apud te literas maximum pondus habuiſſe. Hoc te vehementer, mi Cornifici, rogo. Vale.

M. Cic. S. D. C. Memmio.

Argum. *Petit, ut Evandro ſtatuario de ſacrarii habitatione accommodet.*

CAjo Aviano Evandro, qui habitat in suo sacrario & ipso multum utor, & Patrono ejus M. Æmilio familiarissimè. Peto igitur à te majorē in modum, quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione cōmodes. Nā propter opera instituta multa multorū subitū est ei remigrare Kalend Quintil. Impedior verecūdiâ, ne pluribꝰ verbis rogē; neq; tamen dubito, quin si tua nihil, aut non multū intersit, eo sis animo, quo ego essem, si quid tu me rogares mihi certè gratissimum feceris. Vale.

Cicero Bruto S.

Argum. *Castronium ex Lucensi municipio commendat.*

LUcius Castronius Pætus, longè princeps municipii Lucensis, est honestus, & gravis, plenus officii, bonus planè vir: & cū virtutibus, tum etiam fortunâ, si quid ad rem pertinet, ornatus: meus autem est familiarissimus, sic prorsus, ut nostri ordinis observet neminem diligentiùs. Quare ut meum amicum, & ut tuâ dignum amicitiâ tibi commendo, cui quibuscunque rebus commodaveris. tibi profectò jucundum, mihi certè erit gratum Vale.

M. Cicero Serv. Sulpitio S.

Argu

Argum. *Cossinium libertum commendat.*

LUcio Cossinio, amico & tribuli meo, valde familiariter utor: nam & inter nosmetipsos vetus usus intercedit, & Atticus noster majorem etiam mihi cum Cossinio consvetudinem fecit. Itaq; tota Cossinii domus me diligit, imprimisquè libertus ejus L. Cossinius Anchialus homo & patrono, & patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. Hunc tibi ita commendo, ut si meus libertus esset, eodemquè apud me loco esset, quo est apud patronum suum: majore studio commendare non possem. Quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis, atquè eum quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, juveris. Id & mihi vehementer gratum erit, & tibi postea jucundum: hominem enim summa probitate, humanitate, observantiaquè, cognosces. Vale.

Cic. Acilio Procos. S.

Argum. *L. Manlium in hæreditate fraterna, & omnibus in rebus commendat.*

LUcius Manlius est Susis: is fuit Catinēsis, sed est una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decurioquè

Nea

Neapoli. Erat enim adſcriptus in id municipium ante civitatem ſociis, & Latinis datum. Ejus frater Catinæ nuper mortuus eſt, nullam omnino arbitramur, de ea hæreditate controverſiam eum habiturum: & eſt hodie in bonis. Sed quãdo habet præterea negotia vetera in Sicilia ſua; & hanc hæreditatem fraternam & omnia ejus tibi commendo, imprimiſquè ipſum, virum optimum, mihiq; familiariſſimum, hîs ſtudiîs literarum, doctrinæqúe præditum, quibûs ego maximè delector. Peto igitur abs te, ut eum ſive aderit, ſive non 'venerit in Siciliam, in meis intimis, maximèque neceſſariis ſcias eſſe, itaquè tractes, ut intelligat meam commendationem ſibi adjumento fuiſſe. Vale.

Cic: Ariſto Procos. S. D.

Argum. *Petit, ut Manium Curium ab omni incommodo, detrimento, moleſtia integrum conſervet.*

SUmpſi hoc mihi pro tua in me obſervantia, quam penitus perſpexi, quamdiu Brunduſii fuimus, ut ad te familiariter, & quaſi pro meo jure ſcriberem, ſi qua res eſſet, de qua valde laborarem. Manius Curius, qui Patris negotiatur, ita

ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse conjunctius. Multa illius in me officia, multa in illum mea: quodque maximum est, summus inter nos amor, & mutuus. Quæ cúm ita sint, si ullam in amicitia mea spem habes, si ea, quæ in me officia & studia Brundusii contulisti, vis mihi etiam gratiora efficere, quanquam sunt gratissima: si me à tuis omnibus amari vides, hoc mihi da, atque largire, ut Manium, Curium, sartum, & tectum, ut ajunt, ab omnique incommodo, detrimento molestiis, integrum conserves. Et ipse spondeo, & omnes hoc tibi pro me recipient, ex mea amicitia, & ex uno, in me officio maximũ te fructum, summamque voluptatem esse capturum. Vale.

Cic. Thermo Propræt. S. D.

Argum. *Primùm agit gratias Thermo, quòd Mercilium liberalissimè tractavisset; deinde petit, operam det, ne socrus Marcilii rea fiat.*

CUm mihi multa grata sunt, quæ tu, adductus mea commodatione, fecisti, tum imprimis quòd M. Marcilium, amici atque interpretis mei filium liberalissimè tractavisti, Venit enim Laodiceam, & tibi apud me, mihique propter

te

te gratias maximas egit. Quare quod reliquum eſt, à te peto, quanto apud gratos homines beneficium ponis, ut eò libentiús his commodes, operamque des, quoad fides tua patietur, ut ſocrus adoleſcentis rea ne fiat. Ego cùm antea ſtudioſè commendabam Marcilium, tum multò nunc ſtudioſiùs, quòd in longa apparatione ſingularem, & propè incredibilem patris Marcilii fidem, abſtinentiam, modeſtiamque cognovi. Vale

M. T. Cic: IV. Viris & decurion. S. D.

Argum. *Petit, ut C. Valgius emptam poſſeſſionem in agro Pregellano liberam, immunemq; habeat.*

TAntæ mihi cum Q. Hippio cauſæ neceſſitudinis ſunt, ut nihil poſſit eſſe conjunctiús, quàm nos ſumus. Quod niſi ita eſſet, uterer mea conſvetudine, ut vobis nulla re moleſtus eſſem. Etenim vos mihi optimi teſtes eſtis, cũ mihi perſvaſũ eſſet, nihil eſſe, quod à vobis impetrare non poſſem, nunquàm me tamen gravẽ vobis eſſe voluiſſe. Vehementer igitur vos etiam atque etiam rogo, ut honoris mei cauſâ liberaliſſimè C. Vaigium Hippium tractetis, remque cum eo conficiatis, ut quam poſſeſſionem habet in agro

Fregellano à vobis emptam, eam liberam. & immunem habere possit. Id si à vobis impetrâro, summo me beneficio vestro affectum arbitrabor. Valete.

M. T. Cic. Procos: Marcello Cos. Designato. S. D.

Argum. *C. Marcello de Consulatu gratulatur suamque illi dignitatem commendat*

MAximâ sum lætitiâ affectus, cúm audivi, Consulem te factum esse: eumquè honorem tibi Deos fortunare volo; atquè à te pro tua, parentisquè tui dignitate administrari. Nam cùm te semper dilexi, amaviquè, quòd mei amantissimum cognovi, in omni varietate rerum mearum, tum patris tui pluribus beneficiis, vel defensus tristibûs temporibûs, vel ornatus secundîs, necesse est, ut sim totus vester, & esse debeam: cùm præsertim matris tuæ gravissimæ, atquè optimæ fæminæ major erga salutem, dignitatemquè meam studia, quàm erant à muliere postulanda, perspexerim. Quapropter à te peto majorem in modum. ut me absentē diligas, atque defendas. Vale.

M. C. Proc. C. Marc. Collegæ S. D.

Argum *Gratulatur C. Marcello de filio Consule facto, erat autem Collega Ciceronis in auguratù*

guratu, ac libros quoque de jure augurali composuit, lib. 2. de Divi & Carisius.

MArcellum tuum, Consulem factum, tequè eâ lætitiâ affectum esse, quàm maximè optasti, mirum in modum gaudeo, idquè cùm ipsius causâ, tum quòd te omnibus secundissimis rebus dignissimum judico: cujus erga me singularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore perspexi: totam deinde domum vestram, vel salutis, vel dignitatis meæ studiosissimam, cupidissimamq; cognovi. Quare gratum mihi feceris, si uxori tuæ Juniæ, gravissimæ, atque optimæ fœminæ meis verbis eris gratulatus. A te id, quod consuevisti, peto, ut me absentem diligas, atque defendas. Vale.

Cic. Planco Imp. Cos. Des. S.

Argum. *Laudat Plancum de subsidio Reip. ferendo: & hortatur, ut Antonium ad Mutinam fusum persequatur, ac perdat.*

O Gratam famam biduo ante victoriam de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copiis! Atqui, etiam hostibus fusis, spes omnis in te est: fugisse enim ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. Est autem non minùs gratum extrema dolere, quàm prima depel-

lere. Equidem exspectabam jam tuas literas, idquè cum multis: sperabamquè etiam Lepidū temporibus admonitum, tecum Reip. satis esse facturum. In illam igitur curam incumbe mi Plance, ut nè qua scintilla teterrimi belli relinquatur. Quod si erit factum, & Remp. divino beneficio affeceris, & ipse æternam gloriam consequêre. III. Id. Maji Vale.

M. Cic. Imp. C. Marcello Cos. S. D.

Argum. *Agit gratias Consuli Marcello, quòd supplicationem sibi decrevit.*

QUantæ tibi curæ meus honor fuerit, & quàm idem extiteris Consul in me ornando, & amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis, & cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium literis. Itaquè nihil est tantum, quod ego non tuâ causâ debeam, facturusquè sim cùm studiosè, tum libenter. Nam magni interest, cui debeas: debere autem nemini malui, quàm tibi, cui me, cùm studia comunia, beneficia paterna, tuaquè jam antè conjuxerant, tum accedit, meâ quidem sententiâ maximum vinculum, quòd ità Remp: geris, atque gessisti, quâ mihi carius nihil est, ut quantum tibi o-

omnes boni debeant, quò minùs tantundem ego unus debebam, non recusem. Quamobrem tibi velim ii sint exitus, quos mereris, & quos fore confido. Ego si me navigatio morabitur, quæ incurrebat in ipsas Etesias, propediem te, ùt spero, videbo. Vale.

M. T. Imp. L. Paulo Cos. Des. S.

Argum. *Gratulatur de Consulatu, petitquè, ut operam det, ne quid sibi temporis ad suum provinciale munus addatur.*

ETsi mihi nunquam fuit dubiũ, quin te Populus Romanus pro tuis summis in Rempubl. meritis, & pro amplissima familia, dignitatè, summo studio, cunctis suffragiis, Consulem facturus esset: tamen incredibili lætitia sum affectus, cùm id mihi nuntiatum est: eùmque honorẽ tibi Deos fortunare volo, á teque ex tua Majorumque tuorum dignitate administrari. Atque utinam præsens illum diẽ, mihi optatissimum, videre potuissem, pròque tuis amplissimis erga me studiis atque beneficiis tibi operam meam, studiumque navare. Quam mihi facultatem quando hic nec opinatus, & improvisus provinciæ casus eripuit: tamen ut te Consulem Rempubl. pro tua dignita-

te gerentem videre possim, magnopere à te peto, ut operam des & efficias, ne quid mihi fiat injuriæ, nève quid temporis ad meum annuum munus accedat. Quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet Vale.

Tullius Tironi S.

Argum. *Narrat quàm periculosum sit Tironi post morbum in viam se dare. exigitque solitam ejus operam in studiis.*

EGo verò cupio te ad me venire: sed viam timeo, gravissimè ægrotasti, inediâ & purgationibus. & vi ipsius morbi consumptus es. Graves solent offensiones esse ex gravibus morbis. si qua culpa commissa est. Jam id ad biduum, quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuò ad reditum dies quinque. Ego in Formiano ad III. Kalend: esse volo, ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. Literulæ meæ, sive nostræ, tui desiderio oblangvescunt: hâc tamen epistola quam Accastus attulit, oculos paulùm sustulerunt. Pompejus erat apud me cùm hæc scribebam. Hilare & libenter ei cupienti audire nostra, dixi sine te omnia mea muta esse. Tu Musis nostris para, ut operam reddas. Nostra ad diem dictam

fient

fient: docui enim te, fides etymon quod haberet. Fac planè, ut valeas: nos adſumus. Vale XIV. Kalend.

Tullius Tironi S.

Argum. *Suam de Tironis valetudine ſolicitudinem ſignificat.*

ÆGypta ad me venit pridie Id. April. is etſi mihi nunciavit. te planè febri carere, ſed belle habere: tamen quod negavit, te potuiſſe ad me ſcribere, curam mihi attulit, & eò magis, quod Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat; incredibili ſum ſolicitudine de tua valetudine: qua ſi me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura ſcriberem, ſi jam putarem libenter te legere poſſe. Ingenium tuum. quod ego maximi facio, confer ad te mihi, tibique conſervandũ Cura te etiam atq; etiam diligenter. Vale. Scriptâ iam epiſtola Hermia venit. Accepi tuam epiſtolam vacillantibus literulis: nec mirum tam gravi morbo. Ego ad te Ægyptãm remiſi, quod nec inhumanus eſt, & te viſus eſt mihi diligere, ut is tecum eſſet, & cum eo cocum, quo uterêre. Iterum vale.

Tullius Tironi S.

Argum. *Tirone ægrotante, literarum ſuavitatem,*

te, & fructu se carere dicit: eumque rogat, ut omnem curam ad convalescendum adhibeat.

ANdricus postridie ad me venit, quàm exspectâram. Itaque habui noctem plenam timoribus ac miseriis: tuis literis nihilo sum factus certior, quomodo te haberes; sed tamen sum recreatus. Ego omni delectatione, literisque omnibus careo, quas ante, quàm te video, attingere non possum. Medico mercedis, quantum poscet, promitti jubeto: id scripsi ad Mummium. Audio te animo angi, & medicum dicere ex eo te laborare Si me diligis,, excita ex somno tuas literas, humanitatèmque, propter quam mihi es charissimus. Nunc opus est, te animo valere, ut corpore possis: id cum tua. tũ meâ causâ facias, à te peto. Acastum retine, quô commodiùs tibi ministretur. Conserva te mihi, dies promissorum adest: quem etiam repræsentabo, si adveneris. Etiam atque etiam vale. N. Id April: hora III.

Tull: Tironi S. P. D. & Cicero F. & Q. Pater & Q. F.

Argum. *Ferè tota est hortatio ad curandum valetudinem.*

VAriè sum affectus tuis literis, valdè

priore paginâ perturbatus, paululùm altera recreatus. Quare nunc quidem non dubito, quin quoad planè valeas. te neque navigationi, neque viæ committas. Satis te maturè videro, planè confirmatum videro. De medico & tu bene existimari scribis, & ego sic audio. Sed planè curationes ejus non probo: jus enim dandum tibi non fuit: cúm *Cacosʃtomaches* esses. Sed tamen & ad illũ scripsi accuratè & ad Lysonem. Ad Curium verò svavissimum hominem, & summi officii, summæque humanitatis multa scripsi: in his etiam, ut si tibi videretur, te ad se transferret. Lyso enim noster, vereor, ne negligentior sit: primùm, quia omnes Græci, deinde, quòd cùm à me literas accepisset, mihi nullas remisit. sed cum tu laudas. Tu igitur, quid faciendum sit, judicabis; illud, mi Tiro, te rogo, sumptui ne parcas ulla in re, qua ad valetudinem opus sit. Scripsi ad Curium, quòd dixisses daret medico: ipsi puto aliquid dandum esse, quò sit studiosior. Innumerabilia tua sunt in me officia domestica, forensia nrbana, provincialia in re privata, publica, in studiis, in literis nostris: o-

mnia viceris, si ut spero, te validum videro. Ego puto te bellissimè si rectè erit, cum Quæstore Mescinio discessurum; non inhumanus est, tèque, ut mihi visus est, diligit. Et cùm valetudini tuæ diligentissimè consulueris tum, mi Tiro, consulito navigationi, nulla in re jam te festinare volo, nihil laboro, nisi ut salvus sis. Sic habeto, mi Tiro, neminem esse qui me amet, quin idem te amet: & cúm tuâ, & meâ maximè interest te valere, tum multis est curæ; adhuc dum mihi nullo loco deesse vis, nunquam te confirmare potuisti, nunc te nihil impedit: omnia depone, corpori servi. Quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te judicabo. Vale mi Tiro, vale. Vale & salve. VII. Id. Novemb. Leucade.

LIBER TERTIUS.

M. T. Cicero P. Lentulo Procos. S. D.

Argum. *Commendat A Trebonium, amicum suum splendidum Equitem Romanum*

AUlo Trebonio, qui in tua provincia magna negotia, & ampla, & expedita habet; multos annos utor valde familiariter. Is cúm antea semper & suo splendore,

dore, & noſtra, cæterorumque amicorũ commendatione gratiſſimus in provincia fuit, tum hoc tempore propter tuũ in me amorem noſtramque neceſſitudinem vehementer confidit, his meis literis, ſe apud te gratioſum fore. Quæ ne ſpes eum fallat, vehementer te rogo, commendoque tibi ejus omnia negotia, liberos, procuratorem, familiam, imprimiſque, ut quæ T. Ampius de ejus re decreverit, ea comprobes, omnibusque rebus eum ita tractes, ut intelligat meam commendationem non vulgarem fuiſſe Vale.

Tullius & Cic. F. & Q. F. Tironi humaniſſimo, & optimo S. P. D.

Argum. *Cùm rediret Romam Cicero ex Sicilia, ægrum Tironem liburtum Patris reliquit, quem rogat, ut valetudinem curet.*

VIde, quanta in te ſit ſvavitas: duas horas Thyrei fuimus. Xenomenes hoſpes tam te diligit, quàm ſi vixerit tecum. Is omnia pollicitus eſt, quæ tibi eſſent op9 facturum puto. mihi placebat, ſi firmior eſſes. ut te Leucadem deportares, ut ibi te planè confirmares. Videbis quid Curio, quid Lyſoni, quid medico placeat. Volebam ad te Marionem remittere

re: quem, cúm meliusculè tibi esset, ad me mitteres, sed cogitavi, unas literas Marionem afferre posse, me autem crebras expectare. Poteris igitur, & facies, si me diligis, ut quotidie sit Acastus in portu. Multi erunt, quibus rectè literas dare possis, qui ad me libenter perferāt. Et quidem Patras euntem neminem prætermittam. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo, nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius; ei te totum trade: malo te paulò post valentem, quàm statim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, nisi ut tu valeas: cætera ego curabo. Etiam atque etiam vale. Leucade proficiscens. VII. Id Novemb.

M. T. C. Lentulo Procos. S

Argum. *Tota videtur esse consolatoria epistola, consolatùr enim Lentulum ex comparatione temporum suorum; cùm in exilium pulsus, ad extremum & patriam & dignitatem recuperavit. Et brevis est epistola; quia Pollio ad Lentulum ibat. omnia narraturus,*

QUæ gerantur, accipies ex Pollione, qui omnibus negotiis non interfuit solū sed & præfuit. Me in summo dolore, quē in tuis rebus capio, maximè scilicet con-

ſolatur ſpes, quod valde ſuſpicor fore, ut infringatur hominum improbitas, & cõſiliis tuorum amicorum, ipſa die, qua debilitantur cogitationes & inimicorum & proditorum. Facilè ſecundo loco me cõſolatur recordatio meorum temporum: quorum imaginem video in rebus tuis. Nam etſi minore in re violatur tua dignitas, quàm mea ſalus afflicta ſit: tamen eſt tanta ſimplicitudo, ut ſperem te mihi ignoſcere, ſi ea non timuerim, quæ ne tu quidem unquam timenda duxiſti. Sed præſta te eum, qui mihi à teneris, ut Græci dicunt ungviculis, es cognitus. Illuſtrabit (mihi crede) tuam amplitudinẽ hominum injùria. A me autem omnia ſumma in te ſtudia, officiaque exſpecta; non fallam opinionem meam. Vale.

M. T. Cicero Curioni S. P. D.

Argum. *Gratulatur Curioni, quòd & Romæ non ſit, ubi multa contra Remp committuntur; & ibi ſit, ubi ex rectefactis magnam laudem conſequatur, poſtremò eum ad ſuſpiciendam Rempublicam hortatur.*

HÆc negotia quomodo ſe habeant, nẽ epiſtolâ quidem audeo narrare tibi. Etſi ubicunque es (ut ſcripſi ad te antea) in eadem es navi; tamen quod abes, gratulor

tulor: vel quia non vides, quæ nos, vel quòd excelso & illustri loco sit laus tua in plurimorum & sociorum, & civium conspectu: quæ ad nos nec vario sermone, sed & clarissima. & una omnium voce perfertur. Unum illud nescio, gratulerne tibi, an timeam. quòd mirabilis est exspectatio reditus tui non quòd verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat, sed me hercule, ne cùm veneris, non habeas jam, quod cures: ita sunt omnia debilitata, jam & propè exstincta. Sed hæc ipsa nescio rectène sint literis commissa; quare cætera cognosces ex aliis. Tu tamen si habes aliquam spem de Republ; sive desperas, ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo cive, ac viro debent, qui sit Remp. afflictam. oppressam miseris temporibus, ac perditis moribus, in veterem dignitatem, ac libertatem vindicaturus. Vale.

M. T. Cicero S. D. Sextio L. F. Proquæst
Argum: *Narrat, se diligentiam adhibuisse ne Sextio succederetur, adscribit de domo à se empta.*

CUm ad me Decius librarius tuus venisset, egissetque, mecum, ut operam darem, nè tibi hoc tempore succederetur

tur: quanquam illum hominem frugi, & tibi amicum existimabam; tamen quod memoriâ tenebam. cujusmodi ad me literas antea misisses, non satis credidi homini prudenti, tam valde esse mutatam voluntatem tuam; sed posteaquam & Cornelia tua Terentiam convenit, & ego cũ Q. Cornelio locutus sum: adhibui diligẽtiam, quotiescunque Senatus fuit, ut adessem: plurimùmque in eo negotii habui, ut Q. Fusium Tribunum plebis, & cæteros, ad quos inscripsẽras, cogerem mihi potiùs credere, quàm tuis literis. omnino res tota in mensem Januarium rejecta erat, sed facilè obtinebatur. Ego tua gratulatione commotus, quòd ad me pridem scrisperas, velle te bene evenire, quòd de Crasso domum emissem, emi eam ipsam domum tricies quinquies. LL S. aliquantò post tuam gratulationem. Itaque nunc me scio tantum, habere æris alieni, ut cupiam conjurare, si quis me recipiat, sed partim odio inducti me excludunt & apertè vindicem cõjurationis oderunt, partim non credunt, & à me insidias metuunt, nec putant ei nummos deesse posse, qui ex obsidione fæneratores exemerit, omnino semissibꝰ

ma-

magna copia est. Ego autem meis rebꝰ gestis hoc sum assecutus, ut bonum nomen adeptus existimer. Domum, atque ædificationem omnem perspexi & vehementer probavi Antonium, etsi ejus in me officia omnes desiderant tamen in Senatu gravissimè, ac diligentissimè defendi, Senatumque vehemẽter oratione mea atque auctoritate commovi. Tu ad me velim literas crebriùs mittas. Vale.

M. T. Cic: M. Lepido S. D.

Argum *Lepidum quasi levi brachio objurgat; quia summis honoribus à Senatu ornatus gratiarum agendarum officium neglexerat Tū pacem inter Antonium, & bonos Cives conciliare cupientem hortatur, ne se interponat,*

QUod mihi pro mea sũma erga te benevolentia magnæ curæ est, ut quàm amplissima dignitate sis, molestè tuli te Senatui gratias non egisse, cùm esses ab eo ordine ornatus summis honoribus. Pacis inter Cives conciliandæ, te cupidũ esse lætor: pacem meam, si à servitute sejungis, consules & Reip. & dignitati tuæ sin ipsa pax perditum hominem, in possessionem impotentissimi dominatûs restituta est, hoc animo scito omnes esse sanos, ut mortem seruituti anteponant.

Itaque

Itaque ſapientiùs, meo quidem judicio, facies, ſi te in iſtam pacificationem non interpones, quæ neque ſenatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur. Sed hoc audies ex aliis, aut certior fies literis. Tu pro tua prudentia, quod optimum factu ſit, videbis.

M. T. Cicero L. Furfanio Procons S. D.

Argum. *Brevis eſt Epiſtola: ſed perfectæ commendationis exemplum.*

CUm A. Cæcina tanta mihi familiaritas conſvetudoque ſemper fuit, ut nulla major eſſe poſſit. Nam & patre ejus, claro homine, & forti viro plurimum uſi ſumus; hunc à puero, quòd ſpem mihi magnam afferebat ſummæ probitatis, ſummæque eloquentiæ. & vivebat mecũ conjunctiſſimè, non ſolum officiis amicitiæ, ſed etiam ſtudiis communibus, ſic ſemper dilexi. ut non ullo cum homine conjunctiùs viverẽ. Nihil attinet me plura ſcribere; quàm mihi neceſſe ſit, ejus ſalutem & fortunas, quibuſcunque reb9 poſſum, tueri, vides. Reliquum eſt, ut cúm cognôrim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & Reip. calamitatibus ſentires, nihil à te petam, niſi ut ad eam voluntatem. quàm tuâ ſponte erga

te erga Cæcinam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me à te fieri intelligo. Hoc mihi gratiús facere nihil potes. Vale.

Cicero Ampio Balbo S.

Argum. *Scribit de suo studio erga salutem Ampii exulantis bonamque spem habere jubet.*

DE meo studio erga salutem. & incolumitatem tuam, credo te cognôsse ex literis tuorum: quibûs me cumulatissimè satis fecisse, certò scio. Nec iis concedo, quanquam sin singulari in te benevolentia, ut te salvum malint, quã ego: Illi mihi necesse est concedant, ut tibi plùs quàm ipsi, hoc tempore prodesse possim, quod quidem nec destiti facere, nec desistam, & jam in maxima re feci, & fundamenta jeci salutis tuæ. Tu fac bono animo, magnoque sis, meque tibi nulla re defuturum esse confidas. prid. Non. Quintiles Uale.

M. Cic: L. Culleolo S. D.

Argum. *Gratias agit & suo, & Pompeji nomine Lucio benignissimè tractato: eundemq; denuò commndat.*

QUæ fecisti L. Lucii causâ, scire te planè volo, te homini gratissimo commodâsse: & cùm ipsi, quæ fecisti, pergrata

sunt

ſunt. cùm Pompejus quotiescunque me videt (videt autem ſæpiſſimè) gratias tibi ait ſingulares. Addo enim illud, quod tibi jucundiſſimum eſſe certo ſcio, me ipſum ex tua erga Lucium benignitate, maxima voluptate affici. Quod ſupereſt, quanquam mihi non eſt dubium, quin, cúm antea noſtrâ cauſa, nunc jam etiam tuæ conſtantiæ gratiâ, manſurus ſis in eadem iſta libertate, tamen abs te vehementer etiam atque etiam peto, ea quæ initio oſtendiſti, deincepsque feciſti etiam ad exitum augeri, & cumulari per te velis. Id & Lucio, & Pompejo valde gratum fore, teque apud eos præclare poſiturum confirmo, & ſpondeo. De Republ: deque his negotiis, cogitationibusque noſtris perſcripſeram ad te diligenter paucis ante diebus, easque literas dederam pueris tuis.

Cicero Thermo Propræt. S.

Argum. *Petit à Thermo, ut Annejum, legatum ſuum mittat: eumque in negotio ſuo commendat.*

QUo magis quotidie ex literis, nuntiisq; bellum magnum eſſe in Syria cognoſco eò vehementius à te pro noſtra neceſſitudine contendo, ut mihi M. Anne-

jum legatum primo quoque tempore remittas: nam ejus opera, consiliô, scientiâ rei militaris vel maxime intelligo me & Rempubl. adjuvari posse. Quod nisi tanta res ejus ageretur, nec ipse adduci potuisset, ut à me discederet, neque ego ut eum à me dimitterem. Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Kal: Majas; ante eam diem Annejus ad me redeat, oportet. Illud quod tecum & coram, & per literas diligentissimè egi, id nunc etiam adque etiam rogo, curæ tibi sit, ut suum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro causæ veritate, & pro sua dignitate conficiat: intellexi ex tua oratione, cúm tecum Ephesi locutus sum, te ipsius Anneji causâ omnia velle; sed tamen sic velim existimes, te mihi nihil gratius facere posse, quàm si intellexero, per te, illum ipsum, negotium ex sententia confecisse. Idque quã primũm, ut efficias, te etiam atque etiam rogo Vale.

M. T. C. Titio T. F. Legato S. D.

Argum. *Commendat Avianum Flaccum.*

ETsi non dubito, quin apud te mea commendatio prima satis valeat; tamen obsequor homini familiarissimo C. Aviano

no Flacco: cujus causâ omnia tum cupio, tum me hercule, etiam debeo. De quo & præsens tecum egi diligenter, cûm tu mihi humanissime respondisti: & scripsi ad te accuratè antea, sed putat interesse suâ, me ad te, quam sæpissime scribere. Quare mihi ignoscas, illius voluntati obtemperans, minus videbor meminisse constantiæ tuæ. A te idem illud peto, ut de loco, quo de portet frumentum, & de tempore Aviano commodes. Quorum utrumque per eundem me obtinuit triennium, dum Pompejus isti negotio præfuit Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curâris, ut Avianus, quanto se à me amari putat, me à te amari sciat: erit id mihi pergratū. Vale.

M. Cic. Allieno Procos S.

Arg. *Petit, ut Demetrium Sycionium in suam fidèm recipiat.*

DEmetrius Sycionius, non solùm hospes est meus, sed etiam, quod non multis contigit, Græcis præsertim, valde familiaris Est enim in eo summa virtus, summa in hospites liberalitas & observantia, meque præ cæteris & colit & observ at, & diligit: eum tu non m,

dò suorum civium, verum etiam penè Achajæ principem cognosces. Huic ego tantummodo aditum, ad tuam cognitionem patefacio. & munio; cognitum per te ipsum quæ tua natura, dignum tuâ amicitiâ, atque hospitiô, judicabis. Peto igitur à te, ut his literis lectis, recipias eum in tuam fidem. polliceare omnia te facturum meâ causâ. De reliquo, si, id quo confido fore, dignum eum tuâ amicitiâ, hospitioque cognoveris, peto, ut eum complectare, diligas, in tuis habeas: erit id mihi majorem in modum gratum. Vale

M. T. Cic. Trebatio S. D.

Argum. *Gratulatur de reditu in patriam impetrato, hortatur, ut præterita ex animo deleat, dignitatis que recuperationem, rei familiaris jacturæ anteponat.*

DOlabellam antea tantummodo diligebam, obligatus ei nihil eram; nec enim acciderat mihi opùs esse: & ille mihi dicebat, quod non defueram ejus periculis. Nunc tanto sum devinctus ejus beneficio, quod & antea in te, & hoc tempore in salute tua cumulatissimè mihi satis fecit, ut nemini plus debeam. Qua in re tibi gratulor ita vehemen-

hementer, ut te quoque mihi gratulari quam gratias agere, malim, alterum verò facere poterit. Quod reliquum eſt quando tibi virtus & dignitas tua reditum ad tuos aperuit, eſt tuæ ſapientiæ magnitudinisque animi; quid amiſeris, oblivisci, quid recuperaris, cogitare. Vives cum tuis, vives nobiſcum. Plùs acquiſiviſti dignitatis quàm amiſiſti rei familiaris: quæ ipsa cùm eſſet jucundior, ſi ulla res eſſet publica. Veſtorius noſter familiaris ad me ſcripſit, te mihi maximas gratias agere. Hæc prædicatio tua mihi valde grata eſt: eàque te uti facile patior, tum apud alios, tum, me hercule, apud Sironem noſtrum amicum. Quæ enim facimûs. ea prudentiſſimo cuique maxime probata eſſe volumus Te cupio videre quã primùm.

Cicero Bithinico S. P. D.

Argum. *Mirum declarat deſiderium cum Bithynico vivendi & adjicit, eſſe illi amore conjunctiſſimum.*

CUm cæterarum rerum causâ cupio eſſe aliquando Remp: conſtitutam: tum velim mihi credas, accidere id etiam, quó magis expetam promiſſum tuum,

quo in literis uteris: scribis enim, si ita sit, te mecum esse victurum. Gratissima mihi tua voluntas est: facisque nihil alienum necessitudine nostra, judiciisque patris tui de me, summi viri. Nam sic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus valuerunt, aut valeant, conjunctiores tecum esse, quam me, necessitudine neminem. Quamobrem grata mihi est, & memoria tua nostræ conjunctionis, & ejus etiam augendæ voluntas. Vale.

Cicero Thoranio S. D.

Argum. *Monet Thoranium, ut in Sicilia commoretur, quoad scire possit, quid sibi agendum sit: clausula consolationis nescio quid continet.*

DEderam triduo antè pueris C. Plancii literas ad te; eo nunc ero brevior teque ut ante cosolabar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi esse utilius, quàm ibidem operiri, quoad scire possis, quid tibi agendum sit. Nam præter navigationis longæ. & hiemalis, & minime portuosæ periculum, quod vitaveris, ne illud quidem negligendum, quamvis subito, cùm certi aliquid audieris, te isthinc posse proficisci, nihil est præterea, cur adveni-

venientibus te offerre geſtias. Multa prætereà metùo, quæ cum Chilone noſtro communicavi. Qnid multa? loco opportuniore in his malis nullo eſſe potuiſti ex quo te quocunque opus erit, facillimè & expeditiſſimè conferas. Quod ſi recipiet ille ſe, ad tempus aderis: ſin (quoniam multa accidere poſſunt) aliqua res eum vel impediet, vel morabitur; ibi eris, ubi omnia ſcire poſſis, hoc mihi prorſus valde placet. De reliquo, ut te ſæpe per literas hortatus ſum, itâ velim tibi perſvadeas, te in hac cauſa nihil habere, quod timendum ſit, præter communem caſum civitatis: qui &ſi eſt graviſſimus, tamen ita viximus, & id ætatis jam ſumus, ut omnia, quæ non noſtrâ culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus. Hic tui omnes valent, ſummaque pietate te deſiderant, & diligunt & colunt. Te & cura ut valeas, & te iſthinc ne temere commoveas.

Cicero Trebatio S. D.

Argum. *Familiariter, & jocoſe Trebatium reprehendit, qui literas non miſerat.*

CHryſippus Vettius Cyry architecti libertus, fecit, ut non immemorem putem, mei ſalutem enim verbis tuis mihi

hi nuntiavît. Valde jam lautus es, qui gravêre literas ad me dare, homini præsertim prope domestico. Quod si scribere oblitus es, minus multi jam te advocato causâ cadent: sin nostri oblitus es, dabo operam ut istud veniam ante, quā planè animo tuo effluam: sin æstivorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia. Illud quidem, perlibenter audivi ex eodem Chrysippo, te esse Cæsari familiarem. Sed me hercule, mallem id, quod erat equius, de tuis rebus ex tuis quam sæpissime cognoscere. Quòd certè ità fieret, si tu maluisses benevolentiæ, quam licium jura perdiscere. Sed hæc jocati sumus, & tuo more, & nonnihil etiam nostro. Te valde amamus, nosque à te amari tum volumus, tum etiam confidimus. Vale.

Cicero Curio S. D.

Argum. *Invitat eum ad officia mutua: in urbem ut redeat, rogat veteris urbanitatis retinendæ causâ.*

FAcile perspexi ex tuis literis, quod semper studui, & me ate plurimi fieri & te intelligere, quam mihi charus esses. Quod quando uterque nostrum, consecutus est, reliquum est, ut officiis certemus

mus inter nos; quibus æquo animo, vel vincam te, vel vincar abs te. Acillio non fuisse necesse, meas dari literas, facile patior. Sulpitii tibi operam, intelligo ex tuis literis, non multum opus fuisse, propter res tuas ità contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. Equidem vellem, ut pedes haberent, ut aliquando redires. Vides enim exaruisse jam veterem urbanitatem ut Pomponius noster suo jure possit dicere, ità nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam. Ego is tibi, nos ei succedimus. Veni igitur quæso, ne tantum semen urbanitatis una cum Republ. intereat. Vale.

Cicero Planco.

Argum. *Agris dividendis præfici Plancus cupiebat ad militum gratiam colligendam: de ea re Cicero respondet.*

IN te, & in Collega, omnis spes est, diis approbantibus: concordiâ vestra quæ Senatui declarata literis vestris est, mirifice & Senatus, & cuncta civitas delectata est. Qúod ad me scripseras de re Agraria, si consultus Senatus esset, ut quisque de te honorificentissimã sententiam dixisset eam secutus essem: [qui

cer-

certe ego fuissem. Sed propter tarditatem sententiarum, moramque rerum, cum ea, quæ consulebantur, ad exitum non pervenirent, commodissimum mihi, Plancoque fratri visum est, uti eo, quod ne nostro arbitratu componeretur; quis fuerit impedimento arbitror te ex Planci literis cognovisse. Sed sive in S. C. sive in cæteris rebus desiderâs aliquid, sic tibi persvade, tantam esse apud omnes bonos tui charitatem, ut nullũ genus amplissimæ dignitatis excogitari possit, quod tibi non paratum sit. Literas tuas vehementer expecto, & quidem tales, quales maximè opto. Vale.

Cicero Dolabellæ S. D.

Argum. *Gratulatur Dolabellæ de Bajarum salubritate: & orationem pro Dejotaro Rege ad Cæsarem habitam, mittit.*

GRatulor Baiis nostris, siquidem, ut scribis, salubres repente factæ sunt; nisi forte te amant, & tibi assentantur & tamdiu, dum tu ades sunt oblitæ sui. Quod quidem si ita est, minime miror: cœlum enim & terras vim suam si tibi ità conveniat, dimittere. Oratiunculã pro Dejotaro. quam requirebas, habebam mecum: quod non putarem. Itaque

que eam tibi misi velim sic legas ut causam tenuem, & inopem, nec scriptione magnopere dignam: sed ego hospiti veteri, & amico, munusculum mittere volui levidense Crasso filio; cujusmodi ipsius solent esse munera. Tu velim animo sapienti, fortique sis, ut tua moderatio, & gravitas aliorum infamet injuriam. Vale.

Cic Papirio Pæto S. D.

Argum. *Cum scripsisset Pætus Balbum tenuiculo apparatu fuisse contentum, joci materiam inde arripuit Cicero, idque eum arguit malitiosè scripsisse, ne majorem apparatum ipse requireret.*

TAmen à malitia non discedis, tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse contentum. Hoc videris dicere, cum Reges tam sint continentes, multô magis consulares esse oportere. Nescis me ab illo omnia expiscatum: rectâ enim à portu domum meam venisse; neque hoc admiror, quod non ad tuam potius, sed illud, quod nec ad suam. Ego autem tribus primis verbis; Quid noster Pætus; At ille, adjurans: nusquam se unquam libentius. Hoc si uerbis assecutus es, aures ad te afferam non minus elegan-

elegantes: si autem obsonio, peto à te, nè pluris esse Balbos, quàm disertos putes. Mē quotidie aliud ex alio impedit. Sed si me expediero, ut in ista loca venire possim, non committam, ut te sero à me certiorem factum putes

Cic. Planco Imp. Cos. Des.

Argum. *Scribit de S. C. in suam sententiam facto ad augendam Planci dignitatem: hortaturque ut Antoniani belli reliquias conficiat.*

UT primum potestas data est augendæ dignitatis tuæ, nihil prætermisi in te ornando quod positum esset aut in præmio virtutis, aut in honore verborum. Id ex ipso S. C. poteris cognoscere; ita enim est perscriptum, ut à me de scripto dicta sententia est, quam Senatus frequens secutus est, summo studio magnoque consensu. Ego quanquam ex tuis literis, quas mihi misisti, perspexeram, te magis judicio bonorum, quam insignibus gloriæ delectari; tamen considerandum nobis existimavi, etiamsi tu nihil postulares. quantum tibi à Rep: deberetur. Qui enim M. Antonium oppresserit. Itaque Homerus Ajacem nec Achillem, sed Ulyssem âppellavit polipordon. Vale.

Argum.

Cicero Planco Imp.

Argum. *Officium Planci in actione gratiarum sibi fuisse gratissimum fatætur hortaturque, ut ad extingvendas belli reliquias omni studio incumbat.*

QUàmquam gratiarum actionem à te non desiderabam, cùm re ipsa, atque amico scirem esse gratissimum, tamen (fatendum est enim) fuit ea mihi perjucunda; sic enim vidi, quasi ea quæ ocu lis cernuntur, me à te amati. Dices quid anteã? semper quidem, sed nunquam illustrius. Literæ tuæ mirabiliter gratæ sunt Senatui, cum rebus ipsis, quæ erant gravissimæ, & maxime fortissimi animi, summique consilii, tum etiam gravitate sententiarum atque verborum. Sed mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias, in hoc erit summa gratia, & gloria. Cupio omnia Reipubl. causâ: sed me hercule. in ea conservanda jam defatigatus non multo plus faveo patriæ; cujus maximam facultatem tibi dii immortales, ut spero, dedere, quam cõplectere obsecro. Qui enim Antonium oppresseris, is hoc teterrimum bellum, periculosissimumque confecerit. Vale.

Cicero

Cicero Planco.

Argum. *Petit, ut de Lepidi fide significet, utrum à Rep. sit an se cum Antonio conjunxerit, & hortatur ad belli reliquias opprimendas.*

ITa erant omnia, quæ istinc afferebantur, incerta ut, quid ad te scriberem, non occurreret; modo enim quæ vellemus, de Lepido; modò contra nuntiabantur. De te tam constans fama nec decipi posse, nec vinci: quorum alterius fortuna partem habet quandam: alterum proprium est prudentiæ tuæ. Sed accepi literas à collega tuo datas Id. Maji, in quibus erat scriptum: te ad se scripsisse, à Lepido non recipi Antonium. Quod erit certius, si tu ad nos idem: sed minus audes fortasse propter inanē lætitiam literarum superiorum. Verum ùt errare mi Plance potuisti (qui enim id effugerit) sic decipi te non potuisse, quis non videt? Nunc vero etiam erroris causa sublata est. Culpa enim illa, bis ad eundem, vulgari reprehensa proverbio est. Sin ut scripsisti ad collegam itâ se res habet, omni cura liberati sumus: nec tamen erimus prius, quam ità esse, tu nos feceris certiores. Mea quidem,

dem, ut ad te sæpius scripsi, hæc scientia est: Qui reliquias hujus belli oppresserit eum totius belli confectorem fore: quem te & opto esse, & confido futurũ. Studia mea erga te, quibus certe nulla esse majora potuerunt, tibi tam grata esse, quam ego putavi fore minime miror, vehementerque lætor. Quæ quidẽ tu si recte isthic erit. majora, & graviora cognosces. IV. Kalend Jun.

M. T. Cicero Bruto S. P.

Arg. *Petit, ut exactionem pecuniæ, quam Straboni Cornelius debet, pro potestate imperioque curet.*

LUcio Titio Strabone, Equite Rom in primis honesto, & ornato familiarissime utor. Omnia mihi cum eo intercedunt jura summæ necessitudinis. Huic in tua provincia pecuniam debet P. Cornelius. Ea res a Volcario, qui Romæ Jus dicit, rejecta in Galliam est. Peto à te hoc diligentius, quam si mea res esset. quo est honestius de amicorum pecunia laborare, quàm de sua: ut negotium conficiendum cures: ipse suscipias, transigas, operamque des, quod tibi æquum, & rectum videbitur, ut quam commo-

dissima

diſſima conditione libertus Strabonis, qui ejus rei cauſa miſſus eſt negotium conficiat, ad nummoſque perveniat Id & mihi gratiſſimum erit, & tu ipſe L. Titium cognoſces amicitiâ tuâ digniſſimum; quod ut tibi curæ ſit, ut omnia ſolent eſſe, quæ me velle ſcis, te vehementer etiam atque etiam rogo.